

GERVASIUS,
ABBAS ET DOMINUS PRAEMONSTRATENSIS

Conspectus summarius vitae GERVASII notus est et facile inveniri potest : HUGO in suis Annalibus, vol. I, col. 18 s. de ipso agit; GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, I, 1899, libros qui Gervasio attribui solent indicat (l. c., I, pag. 305 s.); A. ZAK, *Episcopatus Ord. Praem.* : An. Praem. IV, 1928, p. 303, expositis factis praecipuis vitae Gervasii, bibliographiam addit. Compertum est similiter Gervasium, ex Anglia oriundum, prius abbatem monasterii S. Justi (a. 1195), deinde abbatem Theno-liensem (Thenailles) in Gallia (1201), tandem electum fuisse in abbatem et Dominum Praemonstratensem anno 1209, ipsumque obiisse die 28 Dec. anni 1228. Summus Pontifex Honorius III ipsum ad episcopatum Sagiensem (Séez) evexit, episcopumque consecravit anno 1220.

Praemonstratensibus maxime eximiis historiae annumerari debet. Recte de eo scribit Zak, l. c., pag. 303 : « Vir celeberrimus ». Hugo ex sua parte, l. c., col. 18, compendiose ipsius operam ita indicat : « Concilio Lateranensi anno 1215 interfuit, ibique Innocentii III sic captavit benevolentiam, ut ei Pontifex Monasterium S. Quirici in Diaecesi Reatina, amotis monachis liberioribus, contulerit. Inter belli sacri praecones exstitit celeberrimus; Pontificibus Innocentio III et Honorio III summe carus, mutuas cum illis habuit litterarum correspondentias, et eorum in arduis Ecclesiae negotiis velut adiutor in Regno Galliae, nunc dirimendis litibus, nunc collapsae disciplinae sequester et iudex a Romano Sede deputatus est... Quantum pro Ordinis splendore et incremento, atque pro regulari observantia, vir ad pietatem et eruditionem vere natus, insudaverit, testantur Ordinis monumenta ».

Non tantummodo cum viris ecclesiasticis in auctoritate summa constitutis frequentes relationes habuit; etiam cum viris eo tempore scientiis ecclesiasticis vere praestantibus commercium habebat, in specie cum Magistro Philippo Cancellario, cum Stephano Langton, cum Magistro Petro de Northampton, cum Peregrino archiepiscopo Brundusino. Recte indoles personalis Gervasii describitur ab Anonymo Laudunensi : Gervasius erat « vir modestus, religiosus et discretus ».

Gervasio nostro adscribi solent varia opera, quae generatim manuscriptorum remanserunt. Citari solent : « Commentarii litterales in

Psalmos et in minores Prophetas », « Homiliae et Conciones »; potissimum vero memorandae veniunt plurimae Epistolae.

En, paucis relata, quae de Gervasio abbate Praemonstratensi, tradi solent.

Persona Gervasii, non minus quam ejus zelosa operositas in utilitatum Ecclesiae et Ordinis exercita, summopere meretur ut accuratius inquiratur. Prima quaedam lineamenta talis accuratae inquisitionis inveniuntur apud C. R. CHENEY, prof. Historiae Medii Aevi in Universitate Manchesteriana, *Gervase, abbot of Prémontré : A Medieval Letter-Writer* : in *Bulletin of the John Rylands Library, Manchester* : vol. 33, nr. 1, September 1950, pag. 25-56.

Cumque in articulo isto novi quidam conspectus traduntur, maxime quod attinet operositatem litterariam Gervasii, praecipuas conclusiones Prof. Cheney heic referimus.

* * *

Origo anglica Gervasii nostri dubio non vacat. Solent vero plurimi auctores, signanter in Repertoriis, Gervasium ortum dicere ex Chichester, seu, brevius, ex Chester. Ideoque non raro sermo fit de abbate Ordinis nostro, Gervasio de Chichester. Quid de hac origine est censendum ?

Exstitit certo aliquis Gervasius de Chichester. Hujusque varia ipsius opera litteraria nota sunt, partimque ad nos pervenerunt. In Museo Britannico, British Mus., Royal Ms. 3 B x servatur manuscriptum (deficienter servatum) in quo referuntur : commentarius in Malachiam prophetam, instructio de sacerdotio et partes Homiliae in S. Thomam Becket. Accuratum examen porro hujus manuscripti videtur probare Gervasium hunc de Chichester identificari non posse cum Gervasio Praemonstratensi. Primus qui hanc identificationem aperte proposuit videtur fuisse Le Paige in sua Bibliotheca praemonstratensis ordinis. Ac post et juxta Le Paige, alii scriptores Gervasio Praemonstratensi attribuire solent varia Commentaria in libros sacros quae de facto non nostro Gervasio sed alii Gervasio de Chichester adscribi debent.

Certo vero Gervasio nostro variae et plurimae Epistolae adscribi debent. In Epistolis illis, quae juxta artem epistolarem tunc valde vigentem, optime confectae dici debent, perplurima vere momentosa inveniuntur pro historia Ordinis eo tempore, ac pro ratione quae tunc Ordo ex parte Domini Praemonstratensis gubernabatur. Cumque Gervasius, administrator Ordinis eximius, non omittat

simul cum intento spirituali religionis, quod semper prae oculis habebat saepeque explicite exprimebat, ordinationes practicas edicere, sequitur scripta illa momento etiam practico pro nobis non carere. Insuper Ordo praecise illo tempore extensionem geographicam habebat quam maximam; pertingebat usque ad Terram Sanctam et Italiam meridionalem. Et Gervasius, oriundus ex Anglia ubi disciplina religiosa Ordinis tunc vere florebat fit Abbas Praemonstratensis ibique varia minus florentia reformare debuit.

Secretarius ipsius abbatis Gervasii collectionem confecerat epistolarum missarum ab abbate. Litterae illae tractant res spectantes ad gubernium centrale Ordinis. Et quidem pro annis 1209-1220, maxime vero pro annis 1216-1220.

In gubernando Ordine, Gervasius valide confortabatur a Summo Pontifice Innocentio III, uti iteratis vicibus in epistolis suis declarat. Exinde forte provenit factum Gervasium ex sua parte adiutorium non modicum praestitisse Summo Pontifici in hujus incoeptis, v. gr. in debellando errore Albigenium.

Sufficiat unum factum adnotasse relate ad praxim qua Gervasius Ordinem dirigebat. In epistola quadam episcopo ad Ordinem non pertinente missa, committit munus visitandi omnes Praemonstratenses in sua diaecesi degentes (in ep. 88). Talis facti, ita Prof. Cheney, l. c., pag. 33, aliud specimen non repertum est hucusque apud antiquos historiographos Ordinis.

* * *

Expositioni suae Prof Cheney adjungit appendices duas. In prima appendice agit de textu litterarum Gervasii. Hucusque Epistolae illae (omissa editione unius litterae apud le Mire, Ordinis Praemonstratensis Chronicon, Coloniae, 1613, pag. 162) bis editae fuerunt. Prima editio curabatur a N. CAILLIEU (cfr. Goovaerts, l. c., pag. 306), anno 1663. Caillieu edit septuaginta litteras, juxta manuscriptum exstans in abbazia Viconiensi. Anno vero 1725 C. L. HUGO in suis Monumentis pag. 1-122 edit 135 litteras Gervasii, juxta manuscriptum ipsi missum ex abbazia Steinfeldensi.

Exstat vero, ita Prof. Cheney, et alia collectio manuscripta litterarum Gervasii, et quidem Ms. Rawlinson C 533 in Libr. Bodleiana. In foll. 27-116 hujus manuscripti inveniuntur 101 litterae Gervasii, sub titulo : « Incipit quaedam pars registri G. abbatis Premonstr. ». Comparatio vero harum trium collectionum (ed. Caillieu; ed. Hugo; ms. Rawlinson) ostendit ordinem epistolarum in variis his collec-

tionibus non parum differre. Insuper in ms. Rawlinson 533 inveniuntur sex litterae Gervasii hucusque non notae.

Eduntur hae sex litterae Gervasii a Cheney l. c., pagg. 47-56. Litteris his sex adjunguntur aliae sex ad Gervasium directae et de adjunctis directe aut indirecte ad Ordinem spectantes agentes.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.